



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Litterae Regim. Archiepisc. ad Dominum Papam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

rit haberi, ut si etiam publicus latro ad eam ob tutelam sui corporis confugisset, sub ejus confisteret immunitate securus, & quoad lateret ibidem, tanquam innocens servaretur, nunc evacuata omnino tanta per iniquitatis filios libertate, non tantum nocentes personæ, verum etiam res sacræ & aliæ ibidem pro securitate depositæ, violenter ab Ecclesiis extrahuntur. Unde nos, quibus secundum Apostolum incumbit omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, propter tantum discrimen Ecclesiæ vehementer afflicti, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus statum Ecclesiarum, quem taliter periclitari dolemus, ad antiquam studentes omnimodis reducere libertatem, eos quos temerarios violatores earum vobis esse confiterit, tam nostra quam vestra auctoritate suffulti, appellatione cessante, \* terram illius rigore sententiæ compescatis quem secundum canonum instituta in talibus videritis præsumptoribus adhibendum; ita ut per vos ad honorem Dei & Ecclesiæ officij vestri debitum exequentes, quod Ecclesiis sub negligentia torpore deperit, laudabiliter releverit, & studium vestrum apud Deum & homines appareat commendandum. Datum Laterani, XII. Kal. Novembris.

*Scriptum est illustri Regi Ungariæ ut in his que pro libertate Ecclesiæ prædicti Archiepiscopi & Episcopi duxerint statuenda, suum eis auxilium & consilium impendat pariter & favorem.*

MAGISTRO APOLLINARI  
Clerico venerabilis fratris nostri  
Archiepiscopi Strigoniensis.

Epist. 389.

A juramento quoddam Ecclesiæ jura defendere quis velit, per appellationem non liberatur. Cap. Brevi. De jurejurando.

**B**revi sedem apostolicam sciscitatus Bes quæstione, utrum ille qui jura alicujus Ecclesiæ servare ac pro posse defendere juramento tenetur, si necessitate imminente sub debito juramenti ad hoc fuerit requisitus, & nolens hoc facere ad sedem apostolicam duxerit appellandum, perjuri reatum incurrat. Nos autem quæstioni tuæ taliter respondemus, quod in hoc articulo appellan-tem à perjurio talis appellatio non excusat, immo, nisi aliqua difficultas obstat, propter quam non possit requisitus Ecclesiæ subvenire, culpa perjuri potius irretitur. Datum ut supra.

LITERÆ REGIN. ARCHIEPISC.  
ad Dominum Papam.

**E**xcellentissimo Domino & beatissimo Patri suo Domino Innocentio Dei gratia sacrosanctæ Romanæ sedis reverendissimo Summo Pontifici G. humilis & indignus Ecclesiæ Regin. minister salutem & debitam perpetuam devotionis obedientiam. Placuit beatitudinis vestræ causam quæ vertitur inter venerabiles Montis-Regalis & Ruffanen. Archiepiscopos mihi vestro devoto Clerico unâ cum reverendis Patribus Panormitan. & Capuan. Archiepiscopis per literas vestræ sanctitatis committere; quibus debita reverentia & honore susceptis, non multo post susceptionem earum me per aliquot dies languor aliquantulus, non sine meorum exigentia meritorum, invasit, nec tamen ut inde mandatum vestrum minus posset perfici vel adimpleri, cum tam nos quam & partes præsentis omnes Panor. fuerimus; etsi meis sociis onerosum videretur forsitan expectare quandiu mei apponeret divina clementia misereri, & nequivissem tunc pro instanti debilitate corporis cum ipsis ad hoc exequendum personaliter interesse, vox tamen & sensus mihi nunquam per Dei gratiam defuit, quin possemus deliberatione mutua, juxta mandatum vestrum, diligenti examine causam ipsam inquirere, ac sine debito terminare. Verum jamdudum mei socij infra illud ægritudinis meæ spatiolum pro eorum voluntatis arbitrio, meam super hoc & eorum sibi sollicitudinem vendicantes, me ignaro & inconsulto, in causam ipsam, secundum quod eorum dictavit consilium, processerunt. Et ne fortè in his quæ parvitate meæ ab apostolicæ sanctitatis eminentia injunguntur, in conspectu mei Domini palliata falsitas sub veritatis specie offeratur, processum ipsius causæ secundum quod ad diligentem inquisitionem meam certa quorundam, qui interfuerant, approbatæ opinionis virorum & veridica relatione mihi licuit experiri, paternitati vestræ duxi præsentis textu paginula intimandum. Hinc est quod cum præfati mei socij prænominato Montis-Regalis Archiepiscopo ex officio delegationis injungerent ut ad hoc quod sibi ab Archiepiscopo Ruffanen. objicitur, plenius responderet, & idem Ar-

Epist. 190.  
Quod causa tribus conjunctionibus delegata à duobus, excellentissimo, rectè dicitur nequiverit.

Epist. 190.

chiepiscopus pro duabus causis non debere se diceret eorum inde stare iudicio; tum videlicet quia causa ipsa tribus fuerat delegata, & ab illis duobus tantum, me presente inconsulto & infcio, nec vice mea super hoc eis commissa, citatus fuerat ad iudicium; tum etiam quia ante ipsorum citationem pro eadem causa nuncium suum ad pedes vestrae sanctitatis transmisserat, (in quo decretalis Domini Alexandri sibi apertius dignoscitur suffragari) ipsi ejus assertiones nullatenus attendentes, iterum sine mei notitia contra eum, ut responderet, sententiam protulerunt. In quibus omnibus predictus Archiepiscopus gravari se sentiens, ad vestrae beatitudinis audientiam appellavit. Erit igitur, si placet, vestri fontis scientiae, cujus impetus laetificat civitatem Dei, super his juxta summum vestrae immensa discretionis arbitrium providere. Datum Panormi XXV. die mensis Augusti, prima Indictione.

*LITERAE ARCHIEPISCOPI  
& conventus Montis-Regalis ad  
Dominum Papam.*

Epist. 391.  
De eodem ar-  
gumento.

**S**anctissimo Patri & totius fidei Christianae magistro Domino Innocentio, Ca. Montis-Regalis humilis minister, ejusdemque Ecclesiae univ. Conventus, pedum osculum, & quod potest peccatorum oratio. Placuit beatitudini vestrae causam quae vertitur inter Rossanen. Archiepiscopum & Ecclesiam nostram, immo vestram, iudicibus delegatis committere, videlicet Panormitan. Regin. & Capuan. Archiepiscopis, sine debito terminandam. Vnde nos in omnibus & super omnia mandatis apostolicis parere cupientes, ad primam duorum tantum citationis vocem accessimus, exceptiones nostras (sicut juris est) peremptorias opposuit, videlicet quod nuncios nostros specialiter pro hac eadem causa ante citationem ad pedes sanctitatis vestrae transmisseramus. Elapsis postmodum tribus aut quatuor diebus, a Panormitan. & Capuan. tantum Archiepiscopis, sicut prius, citati, ne vestram videremur contemnere majestatem, eorumque conspectui presentati, quia primam exceptionem nostram frivolum iudicabant, aliam exceptionem non minus peremptoriam adjecimus, & obicimus quia cum causa fuisset a san-

ctitate vestra tribus iudicibus delegata, presente tertio & irrequisito, videlicet Domino Reginensi, nobis etiam absentibus & ignaris, exceptiones nostras inutiliter iudicantes, pronuntiaverunt adversa parti nos respondere teneri. Vnde ob tam evidentes & suspicionis & gravaminis causas ad sedem apostolicam appellavimus, quae mater est & subsidium omnium oppressorum, cum in omnibus his appellatione opus non esset. Nam prima causa est, quia nuntij nostri ante citationem iter arripuerunt ad vos veniendi. Secunda, quia presente tertio & ignaro, & citaverunt, & decretalem Alexandri, quae loquitur in hunc modum, frivolum iudicantur. *Ceterum cum aliquam causam contigerit tibi appellatione remota commissam fuisse, & adversa pars post factam citationem iter arripuerit ad sedem apostolicam veniendi, non minus poteris in negotij cognitione secundum juris formam procedere. Quod utique si ante citationem iter inceperit, non est utique observandum.* Sed, quod deterius est, nobis nescientibus & irrequisitis pronuntiaverunt praemissas exceptiones nullius fore momenti. Vnde prostrati ad pedes sanctitatis vestrae petimus plus affectu quam voce, plus devotione quam verbo, ut Ecclesiam nostram, quae vestra specialis est, nullis patiamini perturbationibus conculci, nec aemulorum nostrorum quasi luporum moribus lacerari. Valeat sanctitas vestra.

*REGIN. ARCHIEPISCOPO  
& Episcopo Cephaludensi.*

**C**um causa quae vertitur inter venerabiles fratres nostros Montis-Regalis & Rossanen. Archiepiscopos, super quibusdam decimis, vener. fratribus nostris Panormitano & Capuano Archiepiscopis & tibi frater Regin. commissa fuisset a nobis sine canonico terminanda, praedictus Archiepiscopus Montis-Regalis, sicut ex literis ejus accepimus, ad primam praedictorum Panormitan. & Capuan. Archiepiscoporum citationem accessit: in quorum praesentia constitutus excipiendo proposuit quod pro duabus causis non deberet eorum stare iudicio; tum videlicet quia causa ipsa fuerat tribus delegata, & ab illis duobus tantum, te frater Regin. presente inconsulto & infcio, nec vices tuas eis super hoc committente, fuerat

Cap. Meminimus, De appellat.

Epist. 392.  
Causa de qua  
duae praecedentes  
epistolae lo-  
quuntur, ipsis  
committitur.  
Cap. Cum causa.  
De officio  
jud. deleg.